



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio decimaoctaua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Magistri Durandi de

oppositum finis, quare nec auersio à fine, veruntamen ex consuetudine talis interruptionis & disiuetudine cōuer-
sionis ad Deum minuitur habilitas que erat in nobis cau-
sata ex frequenti cōuersione ad Deū, sed nō habitus pro-
pter causam prédicā. In hoc sensu loquitur Aug. qui dicit
minus te amat qui tecum aliquid amat quod nō propter
te amat. In eodem sensu accipiendū est quod ibidē dicit
Aug. quod nō venenū charitatis est cupiditas. Constat enim
quod nō loquitur de mortali cupiditate, sed loquitur de
veniali que sicut est maior & minor, sic plus & minus mi-
niuit charitatem quo ad feruorē actus, sed non quo ad ef-
ficiētiam habitus, quanvis aliqui dicant q̄ talis cupiditas
contrariatur charitati, & eam minuit, quod satis est mira-
bile: quia contraria nunquam possunt simul stare. Iſi au-
tem ponunt talem cupiditatem manere cum charitate.

25 Ad aliud cūm dicitur q̄ id quod à principio, &c. di-
cendum est quod veniale peccatum vnum vel multa nō fac-
it quod à principio minor charitas detur, nisi quia facit
quod conatus volutatis sit minus intensus, & secundum
eius proportionem datur charitas de congruo vt dictum
fuit supra. Similiter cūm in peccatis venialibus non fit
et que intensus conatus, feruor & intensio actus charitatis
minuitur per peccata venialia, sed nō minuitur charitas,
quia charitas nunquam minuitur nisi per demeritum no-
strum de cōdigno, licet detur à principio propter solum
meritum de congruo, quia cōgruum est quod conatus exi-
stente intensiore intentior charitas detur, ideo quia per
peccatum veniale talis intensio remittitur, congruum est
vt minor charitas detur, sed diminutio feruoris actus
charitatis non meretur de cōdigno diminutionem eius,
alioquin per multa peccata venialia mereretur de con-
digno eius corruptionem quod est impossibile, propter
quod per talem diminutionem feruoris actus nō minui-
tur charitas quo ad efficiētiam habitus.

26 Ad aliud dicendum q̄ aliquis potest dici charus deo-
tripliciter. Vno modo denominatione intrinseca ab ha-
bitu in hære, & sc̄ qui sunt in equali charitate sunt eque
chari Deo quantumcumq; vnuus peccat venialiter, & alter
non. Alio modo dicitur aliquis charus Deo denomina-
tione extrinseca, sc̄ iacet a Deo diligente, & sic omnes di-
lecti a Deo sunt eque ei chari, siue habitus charitatis sit in
eis & qualis fuit non, quia dilectio Dei non recipit magis
& minus. Tertiō modo dicitur aliquis charus Deo deno-
minatione extrinseca ab effectu proprio, Deus enim di-
citur illos diligere quibus aliquod donū propriū & illos
odire quibus propriū ponā, & si duo existēt in equali
charitate quorum alter peccat venialiter alter non, sunt
et qualiter a Deo dilecti quantum ad p̄mū essentiale
quod respondet charitati, sed inqualiter quantū ad p̄mū
accidentiale seu quantum ad dilationē p̄mī eten-
tialis, quia decadens in charitate sine aliquo peccato ve-
niali statim premiabitur, sed difcedens cum veniali non
statim premiabitur, sed punietur pro illo veniali ratione
etius punitionis potest sibi aliquo modo dici Deus ira-
tus.

DISTINCTIO XVIII. Divisio litera Magistri in generali

Præterea diligenter considerandum. Superioris Magis-
trus determinauit de processione Spiritus sancti, hic
verò inquirit nomen quod cōp̄et ei secundum modum
sua processionis, vnde specialiter in ista distin-
tione quomodo nomen donū conueniat Spiritu sancti. Et di-
viditur in tres partes. Primo inquirit, vtrum Spiritus san-
ctus eadem ratione dicatur donū & datū, & obici-
ad vitānque partem. Secundū solvit. Tertiō mouet qua-
stionem incidentem. Secunda ibi, ad quod dicimus. Ter-
tia ibi, post hoc queritur. Secunda istarum diuiditur in
tres partes. Primo offendit differentiam inter donū &
datū ex parte proprietatis importate per nōmē. Secun-
dū ex parte originis. Tertiō ex parte datū. Secunda ibi, &
notandum. Tertia ibi, & secundū hoc quod sempiternē.
Cuilibet istarum partium adiungit vnam questionem
& solvit. Et in hoc terminatur sententia & divisio Magis-
tri in generali.

2 IN SPECIALI sic procedit: Et querit primō,
vtrum Spi. sanctus eadē ratione dicatur donū & datū.

Sancto Porciano

Et arguitur primō quod sic per Aug. quia à datione dic-
tur donū & darū. Deinde opponit in contrario, quia
donū dicitur ab æternō. Datū verò ex tempore. Postea
respondet Magister assignans vtrāq; differentiam inter
donū & darū: & dicit quod Spi. sanctus alia ratione
dicitur donū, & alia ratione datū: quia ex proprietate
relationis quam habuit ab æternō dicitur donū, nō au-
tem datū: quia ab æternō fuit donabilis, & ab æternō per
modum doni processit à patre & filio. Sic enim Spi. san-
ctus donū Dei, est procedere à patre & filio sicut natum
est eis filiū esse à patre. Et hoc confirmat autoritate Aug.
ab illa enim proprietate donū dicitur, à qua proprietate
sumitur nōmē domi. Nomen autem datū sumitur ex
actuali donatione: vnde ab æternō dicitur donū, quia
donabilis, à tempore verò dicitur datū, quia datur. Erat
autem donabilis ab æternō nobis, qui futuri eramus in
tempore, & non quia donatus à patre & filio, vel econ-
seruo. Querit etiam cūm filius fuerit nobis donabilis ex
tempore, quare non dicitur donū. Et responderet, quod
licet donabilis fuerit, non tamen ex modo sue processio-
nis quae est generatio, habuit ista donabilitem. Postea
assignat aliam differentiam inter donū & datū: quia
Spi. sanctus a processione æternā habet quod sit donū,
non quod sit datū, vnde Spiritui sancto esse donū, est
à patre & filio procedere: vnde dicit quod sicut Spi. san-
ctus ex processione sua æternā accipit vt sit ita etiā vt donū
sit, fed ex eo quod datur non habet vt sit, nec etiam vt do-
num sit, quia ab eodem habet eis & esse donū: & filius
quomodo nascēdo habet vt filius ita habet vt sit. Sed sic
dictio est, quia, vt dicit Aug. pater non est ex eo Deus
qui pater: nec filius eo est filius quo Deus. Et responderet
quod non eodem formaliter est filius & est, sed origi-
niter: & Spi. sanctus est eodem originaliter donū & deus:
quia per sua processione habet qui cūd habet essentiam
scilicet & relationem. Et concludit quod nōmē doni re-
spondet æternā processionē, nōmē dati temporali. Postea
querit aliam differentiam inter donū & datū: quia
Spi. sanctus secundum quod donū refertur ad patrem
& filium, ab quibus procedit secundū quod datur, refertur
ad dantē & ad eos quibus datur. Poterit ponit differentia
inter spiritum hominis & Spi. sanctum: dicens, Spiritus
enim hominis dicitur noster, quia per illū fūmus, sed Spi.
sanctus dicitur noster, quia nobis datur. Subdit etiam q̄
nomina quae important respectum alia principaliter re-
cipiūt additionem horum pronominū, meū, nostrū.
Alia verò quae imponuntur a proprietate æternā non re-
cipiunt horum additionē vnde non dicitur filius noster,
sed spiritus noster. Ultimō querit cūm datum referatur
ad dantē & Spi. sanctus detur à se, vtrum posset dici re-
ferri ad se: cuius questionis solutionem differt vñque ad
tractatum in quo agitur de his quae relatiūtē Deo conve-
niunt. Et in hoc habetur sententia in speciali.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum in diuinis donū sit aliiquid essen-
tiale, an notionale.
Tho. 1. q. 8. ar. 1.

Circa distinctionem istam queruntur tria. Primum
est, vtrum donū in diuinis sit aliiquid essentiale, an
notionale, videtur quod sit essentiale: quia nullū notio-
nali conuenit essentiae sed esse donū conuenit essentiae
secundum Hilar. & de Trin. qui dicit quod essentia est do-
num quod datur filio à patre.

2 Item quicquid intelligitur in diuinis exclusa distinc-
tione personarum est essentiale: sed donū intelligitur
esse in diuinis exclusa distinctione personarū: quia si non
est nisi vna persona in diuinis adhuc illa posset dare
scip̄sam, sicut prius dictum fuit de patre, ergo &c.

3 Item omne nomen dicens respectum ad creaturam
est commune tribus, & essentiale: sed donū dicit res-
pectum ad creaturam cui darū, &c.

4 IN CONTRARIUM est quod dicit Aug. 7.
de Trin. quod verbum nō dicitur nisi filius: nec donū
nisi Spi. sanctus: sed illud quod competit vni persona est
notionale, & non essentiale, ergo &c.

¶ R E S.

Lib. I. Distinctio IX.

R E S P O N S I O. ad sciendum veritatem omnium talium quætionum qua sunt, notandum quod significatur dictionis & ratio significandi non mutatur ad hoc quod res significata per nomine inueniatur in alio & alio genere entium: sive enim illud quod donatur sit bos vel asinus, sit naturale vel supernaturale, creatum vel increatuum, nomen tamen doni idem significat, scilicet id quod per distinctionem importatur. **D**iffinitio enim est ratio, quam significat nomen: ut habetur. **M**etaphys. Diffinitio autem doni est quod doni est datio irribilis. **Q**uod autem illud sit ab solutorum vel relatum essentiale vel notionale totum accidit & est extra significatum & rationem significandi doni. Er ideo querenti quid significet donum in diuinis virum significatum esse notionale, responderi debet quod nullum eorum significat: licet de aliquo eorum dicatur sicut pretium non significat denarum, vel numerum, vel solidum, vel obolum, licet de quolibet eorum dicatur: sed eius significatum & ratio significandi abstrahit ab omnibus his. Si vero queratur, sicut credo quod communiter intendunt mouentes hanc quætionem (licet verba quætionis aliud prætendant) non de significato vel ratione significandi: sed de suppositis vel de his de quibus prædicatur ut sit sensus quid est illud in diuini de quo donum prædicatur, si est essentiale, an notionale, videndum est quid sit de ratione doni: quo viso apparebit quod queritur.

Videtur autem, quod donum importat tria, scilicet respectum ad datem, & ad illum cui datur & modum liberalitatis quo datur, donum enim est datus, & fit accipiens per liberaliter comunicacionem. Hoc supposito descendunt duo. Primum est, quod in diuini respectu diuinorum nihil est cui competent ratio doni neque notionale neque essentiale. Secundum est quod ratio doni inueniatur in diuini respectu creaturarum & competit quemque propriis essentialibus sicut personalibus vel essentiis sicut personis licet appropriate sicut personæ spiritus sancti.

Primum patet sic: illud quod non communicatur liberè alteri non habet rationem doni: sed in diuini nihil est quod communicetur liberè: sed quicquid communicatur in diuini communicatur ex necessitate naturæ & non liberè ut dictum fuit cum quereretur dist. **v**. vtrum pater genuit filium natura, ergo in diuini respectu diuinorum nihil habet rationem doni.

Secondum patet: quia donum est aliquid alteri liberaliter comunicatum seu exhibitum: sed istud æquè conuenit essentiæ vel essentialibus, sicut persona vel personæ libis respectu creaturarum: ergo, &c. maior pater ex ratione doni, minor probatur: quia nihil diuinum datur creature, vt habeatur ab ipsa subiectum, sed tantum obiectum ut cognitum & amatum sit per modum specialis rectoris & directoris: ut dictum fuit. **s. diff. & 14.** cum ageretur de processione temporali: & hoc modo æquè datur creature essentia diuina sicut persona, scilicet sub ratione obiecti cogniti & amati, & per modum specialis rectoris & directoris tam in donis gratiæ quam gloriæ, ergo &c. Nihilominus tamen per modum cuiusdam appropriationis est donum maximæ cœptæ spiritu sancto: quia omnis specialis communicatione quæ ad donum exigitur, procedit ex radice amoris qui est actus voluntatis. Er ideo illi persona conuenit appropriate esse donum quæ procedit ut amor, vel per modum voluntatis: sed talis est sola persona spiritus sancti: ergo &c.

A D A G V M E N T A pater solutio. Cum enim primò arguitur de Hilario qui dicit quod essentia est donum quod à patre datur filio: & ita donum videtur esse in diuini respectu diuinorum quod est contra dicta: **d**iscendum quod donum ibi accipitur largè pro eo quod communicatur alteri etiam ex necessitate naturæ per quem modum diciatur quod omne generans dat formam. Nos autem non loquimur nunc de dono iura largè, sed strictè, scilicet prout dicit aliquid alteri communicatum liberaliter quod non conuenit alii in diuini respectu diuinorum.

Secundum argumentum probat, quod esse donum competit cuiilibet persona respectu creaturarum quod concessum est.

Idem probat tertium argumentum quanvis defectuose, quia non omne quod importat respectum ad creaturæ est commune tribus personis: ut patet in hoc quod est incar-

Quæstio II.

natus, quod competit soli filio: & tamē dicit respectum ad creaturam vel creaturæ ad Deum: quia ille respectus est in ratione termini qui potest conuenire viii personæ, & non alteri: sed respectus principii effectui necessariò communis est omnibus personis: quia fundatur super potentiam quæ est omnibus communis.

2. Ad argumentum alterius partis dicendum quod solus filius dicitur verbum: & solus Spiritus sanctus dominum, non per exclusionem aliorum, sed per appropriationem ut dictum fuit,

Q V A E S T I O S E C U N D A.

Vtrum Spiritus sanctus eo sit donum quo Deus. **S**ecundo queritur, vtrum Spiritus sanctus eo sit donum quo Deus. Et videtur quod non: quia reduplicatio dicit causam inherenter predicit ad subiectum: sed Spiritum sanctum est. Deum non est causa quare sit donum: quia multa sunt dona quæ non sunt Deus: ergo Spiritus sanctus non est eo donum quo Deus.

C O N T R A. Sicut quicquid habet filius, habet suæ generatione: sic quicquid spir. sanctus habet, habet suæ processione: sed Spiritus sanctus habet quod sit donum, & quod sit Deus suæ processione, ergo vtrunque habet per idem, scilicet per suam processionem.

R E S P O N S I O. Dicendum quod sicut hoc huius dicitur multipliciter secundum Philof. 2. elenchorum, ita est aliquo dicitur multipliciter: & ad praesens dupliciter, scilicet formaliter & originaliter, si queratur vtrum spir. sanctus eodem modo formaliter sit donum & Deus dicendum quod non, sed deitate est Deus, & donabilitate donum & hoc formaliter, differunt enim sicut superioris & inferius, quia in plus donum quam Deus, vel donabilitas quam Deitas, vel sicut res & ratio, quia deitas dicit rem super quam donabilitas addit rationem. Si vero queratur virum spir. sanctus eodem modo originaliter sit donum & Deus: dicendum quod sic, quia quicquid habet spir. sanctus, habet unica origine, quia procedit a patre & filio, sive illud sit esse Deum, sive esse donum: & quodcumque aliud. Argumentum duum vii suis. Primum quod non eodem formaliter Spiritus sanctus est donum & Deus. Secundum quod eodem originaliter quod concessum est.

Q V A E S T I O T E R T I A.

Vtrum conuenienter dicatur Spiritus sanctus noster.

Tertio queritur, vtrum conuenienter dicatur Spiritus sanctus noster. Et videtur quod non, quia noster est pronomen possessivum: sed Spiritus sanctus non posside tur a nobis, sed e conuerso: ergo non potest dici noster.

2. Item non bene dicitur filius noster: ergo a sumi non bene dicitur Spiritus sanctus noster.

3. I N C O N T R A R I V M. est quod dicitur. **4.** Regum. 2. quia dicit Helias Heliæ: Oro vñ spiritus tuus duplex fiat in me, sed sicut dicitur tuus, ita potest dici noster: ergo &c.

R E S P O N S I O. Illud quod potest dici nostrum habet aliquam habitudinem ad nos: nec semper requiritur habitudo possessivæ, licet illa sit principalis. Alia enim sufficiunt sicut aliquis dicitur pater noster, vel rex noster. Nominum ergo diuinorum quæcumque non important aliquam habitudinem ad nos, illis non potest addi propriæ nostrum, meum, vel tuum, sicut est potestime de nominibus abstractis. Non enim bene dicitur deitas nostra, vel æternitas nostra: sed sicut de similibus, ut essentia, substantia, & huiusmodi: illis autem nominibus diuinis quæ importat aliquam habitudinem ad nos possunt prædicta pronomina addi. Et quia principalis habitudo Dei ad nos est secundum rationem principii actiui, ideo talibus nominibus propriæ fit talis additione: ut cum dicitur Deus est creator noster, salvator noster, redemptor, & huiusmodi quæcumque esse etiæ ad actionem nostram spectant.

5. Deinde fit confusum additio nominibus importanti bus qualecumque habitudines ad nos sive per modum finis: sicut bene dicitur, Deus est finis noster: sive per quicunque alium modum. Nominibus autem quæ non important tales habitudinem non possunt prædicta pronomina addi, sicut sunt nomina personarum, pater, & filius, & spir. san-

Hæc

Magistri Durandi de

Hac enim important habitudinem inter se qua reteratur adiuicem: sed non ad nos: vnde sicut non bene dicitur filius noster: quia per hoc habitudinem habet ad patrem cuius est filius: & non ad nos: sic non bene dicitur pater non sicut pater personaliter: sic enim est solus pater filii per generationem diuinam. Sumēdo autē patrem essentialiter, scilicet per creationem: sic convenienter dicitur pater noster, propter habitudinem principii effectuum ad nos: eodem modo non bene dicitur spiritus sanctus noster, cum non dicat habitudinem ad nos: nisi forte quis dicat quod in quo querens nobis inspiratur. Non enim solum inspiratur a patre & filio, sed ab eisdem nobis inspiratur: & utrumq; habitudinem dicit nomen spiritus.

* Sed hoc non credo verū esse: quia spiritus de nomine suo, vel sonat in subtilitate naturae, vt dictum fuit supra, dicitur, vel trahit hoc nō a modo suu originis: vt ibidē dictum fuit. Ex neutro autē horum importat habitudinem, ut alteri inspiratur: quia spiratio a qua dicitur spiritus, & inspiratio per quam alii inspiratur, sunt alterius rationis: ergo non bene dicitur spiritus noster accipit ēdō spiritum personaliter, nec etiam essentialiter. Et idem dicendum est de nominibus importantibus alias personas.

7 De nominibus autem essentialibus concretis idem dicendum est: quia predicta nomina si sint absoluta non recipiunt additionem talium pronominum nisi expressa aliqua determinatione respectiva, vel latere subintellecta, ut cum dicitur Deus noster, subintelligitur creator vel alii quid tale, quo etiā modo dicitur spiritus helius, & dictum est ei ab Helio spiritus tuus, &c. tuus inquam ductor vel doctor vel huulimodi. Per hoc patet responsio ad argumenta vtriusq; partis.

DISTINCTIO XIX.

Sententia huius literae in generali & speciali.

Nunc postquam eternitatē, &c. Superiorus determinauit Magister de personis diuinis quādam ad earum distinctionem per relationem. Hic vero determinat de ipsius quantum ad earum aequalitatem. Ista diuiditur in duas. Primo enim ostendit aequalitatem personarum. Secundō mouet quandam questionem incidentem ex predictis. Secunda ibi, in principio. 22. dist. Hic oritur. Prima diuiditur in duas. Primo proponit intentum. Secundo exequitur. Secunda ibi. Quod autem eternitatem. Et haec secunda diuitur in tres. Primo ex predictis supponit aequalitatem personarum quantum ad eternitatem. Secundō probat earum aequalitatem quādam ad magnitudinem. Tertio probat earum aequalitatem quantum ad propositionem. Secunda ibi, nunc supereft. Tertia ibi, in princ. 20. dist. ibi. nunc vero ostenderet restat. Secunda istarum diuiditur in tres. Primo probat aequalitatem in magnitudine per naturę vnitatem. Secundō excludendō omnem inaequalitatem. Tertiō per diuinam simplicitatem. Secunda ibi, sed iam nunc ad propostum. Tertia ibi, sciendum est ergo. Prima istarum solum est presentis lectionis. Sunt ergo in lectione ista tres principales partes, in quā prima proponit aequalitatem personarū. Secundō ostendit ex predictis tibis aequalitatem in eternitate. Tertiō probat aequalitatem in magnitudine per naturę vnitatem. Prima istarum diuiditur in duas partes. Primo proponit aequalitatem quo ad tria que inueniuntur in personis. Secundō ostendit quomodo ista tria se habent ad diuinā naturam. Secunda ibi. Cumq; tria enumerantur. Tertia vero pars principalis in qua ostendit aequalitatem in magnitudine per naturę vnitatem diuiditur in tres. Primo enim proponit intentum. Secundō manifestat propostum in generali. Tertiō ostendit aequalitatis signum. Secunda ibi. Sciendum est ergo. Tertia ibi. Et inde est quod pater. Hac est diuisio & sententia in generali.

2 IN SPECIALE vero sic procedit. Et primo proponit q; persona diuina sunt coeterae, & coæquales ita q; vna aliā nō p̄cedit eternitate nec superat potestate, sed sunt coeterae. Et hoc ostendit per hoc q; generatio filii ac processio. Spi. san. coeterae sunt propter vnitatem naturae que est in eis. Deinde ostendit quomodo ista tria secundum que attēndit aequalitas diuinarum personarū se habeant ad diuinā essentialiam. Et dicit q; eternitas, magnitu-

Sancto Porciano

do, & potentia idem sunt in diuinis, sicut diuina essentia nominibus distinguatur. Postea probat aequalitatem in eternitate ex supradictis. Deinde proponit quod diuina persona sunt æquales secundū magnitudinem, quod probat per hoc q; natura magnitudo sive perfectio est eadē in vna sicut in omnibus vel pluribus personis. Ultimō per nit aequalitas signum quod est, quia vna dicitur esse in alia sive continetur, vnde pater est in filio & filius in parte, &c. Et hoc est propter naturę vnitatem. Et ostendit per diuerias autoritates factorum que patent in litera.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum inter personas diuinas sit aequalitas.

Tb. 1. q. 42. a. 1.

Circa distinctionem ita: nō queritur de tribus principiis, scilicet de aequalitate diuinarum personarū, & de earum eternitate, & de earā vnitate. Circa primum queruntur duo. Primi est, vtrum inter personas diuinas sit aequalitas. Secundū est, de hoc quod Magister dicit in litera quod signum aequalitatis personarum est quod vna persona est in alia. Ad primum sic procedit, & arguit quod in diuinis non sit aequalitas, quia vbi est aequalitas ibi est duorum commenuratio in quantitate: sed in diuinis non est commenuratio quantitatis: tum qui non est ibi quantitas. (Est enim Deus sine quantitate magnus secundum Aug.) tum quia si sit ibi quantitas tunc infinita est, & ei repugnat mensurari: quare, &c.

2 Item si in diuinis est aequalitas aut ipsa attenditur secundum essentiam vel secundum relationes, non secundum essentiam vel essentialia: tum quia substantia vel essentia magis est fundamentum identitatis, quā aequalitas, vt patet, metaphysica: tum quia vbi est aequalitas, ibi est distinctio: nullus autem est distinctio in diuinis quod essentia: ergo, &c. Nec attendit aequalitas secundum relativa: vt dicit Aug. in fine sequentis dist. ergo in diuinis nullo modo est aequalitas.

3 IN CONTRARIUM est q; dicit Athanasius in symbolo tres personae coeterae sibi sunt, & coæquales.

4 RESPONSI. Dicendū sunt tria. Primum est quod in diuinis est aequalitas. Secundū est quod ibi est aequalitas cōuersua. Tertium est quod ibi nō est adæquatio conuersua. Quantum ad primum præintelligendum est quod cū aequalitas sit relatio fundata super qualitatem (Dicuntur enim aequalia illa que participant eādem quantitatem nō secundum magis & minus) idcirco opus est hic distinguere de quantitate. Vno enim modo accipitur pro quantitate molis corporalis que cūm sit distincta, facit vnum prædicamentū distinctū contra qualitatem & substantiam: & hoc modo non est quantitatis in diuinis, nec aequalitas super ipsam fundata.

5 Alio modo accipitur pro quantitate perfectionis: & sic inuenitur in diuinis & in omnibus in quibus vel inter quā contingit inuenire diuersos gradus perfectionis. Et qui perfectionum quādā sunt substantiales, & quedam accidentiales que pertinent ad genus quantitatis vel qualitatis, ideo quantitas sic accepta non distinguuntur contra substantias & qualitatis, sed est transcendentis & cōmuni ad ista, & per cōsequens aequalitas super eam fundata non distinguuntur cōtra identitatem & similitudinem, nisi secundum rationē in superioris & inferioris. Nam sicut in creaturis eadem res (puta humanitas) est substantia, & habet determinatum gradum perfectionis. Sic secundum eam vt est substantia duo homines dicuntur idem in humanitate: illo modo quo dicit Porphirius quod participatione species plures homines sunt vnu homo. De hac enim identitate loquimur nunc: & non de illa qua vnu suppositum dicitur idem fibipi: vt autem humanitas habet eundem gradum perfectionis dicuntur aequalis: similiiter duo homines participantes albedinem secundum eam vt est quēdam qualitas dicuntur similes: vt autem participant eam secundum eundem gradum vel diuersum dicuntur aequaliter vel inæqualiter albi.

6 De aequalitate ergo fundata super qualitatem sic acceptam, quod sit in diuinis probatur sic: vbi cūq; sunt plura extrema distincta realiter habentia eandem quantitatem, non secundum magis & minus ibi est aequalitas: sed in diuinis est sic: ergo est aequalitas, maior pater, quia in hoc